

P R Æ F A T I O.

& ad insignem compositis speciem objectionibus, affatim constaret. Ista fuit ratio, hæc causa, quæ me movit, ut operi tam salutari manum admove-rem, & quicquid ad sacram, Veteris quidem Instrumenti, Criticam spectat, brevi complexu confertim exhiberem, modumque præirem Juventuti, quo & ipsa de inæstimabili divinorum oraculo- rum thesauro recte sentire, & male sentientium loquentiumque strophas elidere ac retundere de-beret.

Istud vero institutum qua ratione & via exequutus fuerim, paucis hic in limine exponendum est, postquam, quæ de artis Criticæ in sacris usu & abusu, indole, ingenio & fati dicenda veniunt, paulo post in prælusione pariter ac Capite proœmiali, abunde dedimus enucleatum. Ita nimirum in hoc versatus sum studio, ut *primo* quidem fundamenta, quibus codicis Hebræi nititur sinceritas, auctoritas, constans per omnia & incorruptus ordo, in apricum ponerem & rationi-
bus